

- 27 Viceversâ quoniam Vasallus Domino ea tenetur in feudo concedere, quæ sibi non nocent, & Domino profunt, *V. Pistoris. P. 3. Q. 25. Dn. Eyben. Elect. Feudal. c. 12. §. 3.* Existimaverim quoque, Dominum in fundo feudali vel Emphyteutico quoque furnum ad necessitatem suam ædificare posse; hoc enim æquitatis est, ut concedat alteri quod ipsi prodest, sibi verò nullum affert detrimentum *L. 5. §. 8. ff. de Aqu. plu. arcend.*
- 28 Isthæc vero plena fruendi facultas cum usufructuario concessa non sit, quippe qui saltem Jus in re habet, non verò dominium, *l. 43. §. 4. ff. de furt. L. 25. ff. de V. S. add. Vincent. Filliuc. Quæst. moral. de Christ. Offic. Tom. 2. Tr. 31. c. 3. n. 57.* consequens est, ut nec ædificandi furnum Jus habeat *per l. 14. & l. 13. §. 6. 7. & 8. ff. de Usufr.* quibus textibus non solum de novo extruendi, sed ædes quoque immutandi imò balneum faciendi facultas ipsi adempta est. Facit, quòd concedens Usufructum, ad præsentem fundi faciem videatur respexisse; non autem, ut ad utilitatem suam immutet, permisisse. Itaque ad incogitata hujusmodi conventio extendi nequit *l. 9. §. 1. & ult. ff. de Transact. Carpz. P. 2. C. 34. Def. 19. n. 5.* quod si tamen privatae necessitatis gratia furnus sit exstructus, non animo lucrum ab aliis inde captandi, non putarem hoc Usufructuario denegandum esse, præcipuè si in vicinia non adesset furnus, quo commodè uti posset; Et si ita ædificarent, ut nullum ædibus usufructuariis inde metuendum
- 29 periculum. Cœterum priori sententiæ non obstat [1] quod Usufructuarius proprietatem meliorare possit *d. l. 13. §. 5.* nam acquisitâ servitute quoque fundus fit melior, eam tamen fundo Usufructuario Usufructuarius ac-
- 30 quirere nequit *l. 15. §. 7. ff. d. t.* Nec obst. [2] *d. l. 13. §. 6.*
ubi